



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XIV. An regula Societatis apta sit, & sufficiens ad eius conuenientem
gubernationem, & religiosam directionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

moralement certitudinem sufficiat? Respondeo inprimis in qualitate cause magnum esse discrimen, vt in superioribus tractatum est. Deinde etiam in certitudine, quæ postulat, est magna differentia: nam ad poenam legalem necessaria est probatio plena, vt in superioribus declaratum est, & maximè habet verum in poena tam graui, qualis est eiectio professi à sua religione. In altera verò conuentionali poena non est necessaria tam manifesta probatio, sed sufficit ita probabilis vt prudenter & sine temeritate iudicari possit, ita factum esse. In quo etiam est considerandum, in hac eiectione in conuentione fundata nunquam considerari præcipue rationem poenæ, sed quod magis expedit religioni, & ministerijs eius; ideoq; ea notitia ordinariè sufficit ad eiectionem, quæ sufficit, ad prudenter iudicandum hanc personam non esse aptam huic instituto, vel religionem non posse illi securè considerare sua ministeria. Denique etiam quoad ordinem, & modum procedendi in huiusmodi iudicio est magna differentia inter has duas causas & poenas: quia in poena iudiciali ferenda licet non oporteat rigorosè seruare ius canonicum iudiciale quoad omnia accidentalia, tamen seruare oportet ea, quæ sunt de substantia publici iudicii aliquo ex modis in discursu capitis duodecimo declaratis. In posteriori verò poena, hoc necessarium non est, sed sufficit moralis diligentia, quæ arbitrio prudentis Prælati adhibenda est, seruatis legibus iustitiæ & charitatis: sicut in faciendo, vel dissoluendo aliquo graui contractu adhiberi solet.

XII. Per hæc satisfactum est priori querelæ. Altera verò quæ subiungitur, potius ostendit suauitatem, & maturitatem, quam in his rebus seruat Societas. Nam regulariter huiusmodi causæ, si quæ sunt, per immediatos superiores, si sint de rebus communibus, & ordinarijs, vel per Prouinciales, si sunt grauioribus terminari possunt. Quando autem res est grauior, & in vniuersum, quando aliquis post vota emissæ dimittendus est, vltima resolutio Generali præposito referuata est, non in grauiorem, sed potius in fauorem subditorum, vt nimirum cum maiori consilio atque adeo cum maiori difficultate talis poena, vel tale remedium applicetur. Neque per hoc priuantur subditi omni auxilio ad suam defensionem, non solum per literas, recurriendo ad Generalem, quod minus commodum videri potest, sed coram proximioribus Prælati per se respondendo, & omnes causas exculationis allegando, vel (quod efficacius esse solet) emendationem offerendo. Nam si Prouincialis, v.g. per se ipsum esset totum negotium absoluiturus, per hoc censureretur satisfactum iuri subditi: ergo etiam si totum negotium, quoad resolutionem, ad supremum Prælatum deferendum sit, remedium illud sufficit ex parte subditi, cum de re tota habiturus sit Prælatus integram notitiam prius, quam sententiam suam proferat, quemadmodum etiam in instructione citata in fine n. 12. de dimittendis latè declaratur.

CAPVT XIV.

Virum regula Societatis ad eius conuenientem gubernationem & religiosam directionem apta & sufficiens sit.

I. Quoniam humanum regimen bene institutum præter naturalem & diuinam legem, aliquam etiam regulam, & quasi normam sibi propriam & accommodatam requirit: ideo in fine huius libri pauca de Societatis regula addenda censui. nam licet in superioribus ferè totam viuendi rationem

Societatis, & consequenter constitutiones eius explicauerimus, hic tamen oportet summam vniuersas Societatis regulas, earumq; methodum, ac rationem proponere, & omnes vulgares obiectiones commemorare, vt si iam illis satisfactum fuerit, loca præ manibus habeantur, vel si quid relictum fuerit, addatur.

Diximus autem in superioribus tract. 8. c. 1. solere in multis regionibus frequenter distingui regulam à constitutionibus, vel statutis: nam regulam vocant, quæ à primo fundatore orta est, vt regula Augustini, Benedicti, Francisci, vel quæ à fundatore alicuius religionis sumpta est ab alio antiquiore, vt fundamentum religionis sue, sicut est regula Augustini in religione Prædicatorum, vel S. Benedicti in religione S. Bernardi, & multi putant ita se habere regulam S. Basilij ad ordinem Carmelitarum. Constitutiones autem dicuntur, quæ à posterioribus capitulis, aut Prælati additæ sunt. Societas verò nullam antiquam regulam assumpsit, quam profiteretur, sed à suo fundatore habuit constitutiones à Sede Apostolica approbatas per modum propriæ regulæ, (quæquam ferè omnia in eis inueniantur ex vsu antiquorum Patrum, & aliarum religionum) vnde potius dicere possumus constitutiones Societatis esse regulam eius, nam illas habuit à suo fundatore tanquam propriam viuendi normam, cui conformari debent omnia alia statuta, vel ordinationes si quæ fuerint, imò in illis virtute continentur. Præter constitutiones verò, sunt multa alia ordinationes in Societate, quæ generali nomine regularum comprehenduntur. Quod si velimus cum proportionem applicare distinctionem illam de regula, & constitutionibus, possumus in præsentia dicere, regulam Societatis esse compendiarium illam rationem & summam totius instituti, quæ in Bullis Pontificijs i. Pauli III. & i. Iulij III. continetur, nam finem & substantialia media Societatis completuntur, & ita ipsa Bulla appellatur ibi, *Quæ ad regulam huius nostræ obseruationem faciunt*: Reliquas verò leges omnes nomine statutorum, aut constitutionum comprehendunt.

De propria regula & constitutionibus Societatis.

Regula ergo hoc modo accepta, quantum ex citatis indultis colligitur, hæc capita continet. Primum, finem Societatis esse propriæ perfectioni, & decem proximorum saluti incumbere. Secundum, in Societate varios esse debere personarum gradus, vt unusquisque possit iuxta gratiam à Spiritu sancto sibi subministratam ad prædictum finem cooperari. Tertium, vnum esse debere in Societate Præpositum Generalem, ad quem pertineat hos gradus & officia, ac ministeria omnia distribuere: & vniuersam Societatem regere. Quartum, hanc religionem totam speciali ac proprio modo sub obedientia Pontificis militare, & ideo speciali voto obedientiæ illi consecrari, & astringi. Quintum, vt professi Societatis solenne votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittant. Sextum, vt nominatim commendatam habeant puerorum, ac rudium in Christiana doctrina instructionem. Septimum, vt Societas professa non tantum in particulari, sed etiam in communi paupertatem profiteatur & obseruet. Octauum, vt Societas habere possit Collegia, quæ proprios habeant redditus ad scholares Societatis alendos: quorum Collegiorum administratio ad Societatem professam pertinet: ita tamen vt in suum emolumentum bona dictorum Collegiorum conuertere non possit. Nonum, vt scholares Societatis post sufficientem

ficientem probationem in Societatem admittantur per vota substantialia religionis, iuxta constitutiones Societatis emissas, id est, non solennia, sed simplicia, ita ut in potestate Societatis maneat sic admissos liberos dimittere, si expediens fuerit. Decimum, ut Societas coadiutores spirituales, & temporales admittere possit per vota etiam simplicia, iuxta constitutiones Societatis emittenda. Undecimum, ut in Societate sint congregationes generales, ad quas perpetuas constitutiones condere, declarare, & mutare, & res grauiiores transfigere pertineat. Duodecimum, ut Præpositus Generalis per electionem generalis Congregationis creetur: quoad reliqua vero omnia, & prouisionem omnium inferiorum Prælatorum potestas sit penes ipsum Generalem. Decimumtertium, ut socij etiam professi non teneantur communiter vel in choro officium canonicum canere, aut recitare, sed tantum priuatim si in sacris ordinati sunt. Decimumquartum, ut in exteriori modo viuendi, in vestitu scilicet, victu, &c. consuetudinem honestorum, ac pauperum sacerdotum retineant. Decimumquintum, ut ad solennem professionem non recipiantur, nisi post diuturnas, & diligentissimas probationes, per quas vita & doctrina admittendorum explorata fuerit. Hæc est summa instituti, & quasi regula Societatis; quæ expressè quoad hæc omnia capita in dictis indultis Summis Pontificibus propoſita fuit, & ab eisdem confirmata, & postea à Gregorio XIII. XIV. & Paulo V. in suis constitutionibus exactissime declarata, approbata & defensa. De singulis etiam à nobis est in superioribus disputatum; ita ut quoad hanc partem nihil in præsentiarum addendum super sit.

IV.

*Constitutio-
nes societatis
post aliam
regulam, ob-
tinent pri-
mum locum
earum cõ-
firmatio.*

Post hanc regulam inter leges, seu Societatis statuta primum locum obtinent constitutiones, quas summo consilio, & non sine magno Dei lumine diuturnis orationibus impetrato, B. P. N. Ignatius edidit, ut in vita eius lib. 4. cap. 2. Petrus Ribadeneira non minus eleganter, quam fideliter refert, qui etiam addit, eam fuisse sancti viri modestiam, ut noluerit constitutiones à se editas, ratas esse ac firmas, donec eas Societas vniuersa suo etiam iudicio comprobaret. Quod factum est in prima Congregatione generali post eiusdem Beati Ignatii felicem mortem can. 4. his verbis, *Constitutiones firmas, ac ratas habende, & etiam obseruande sunt, prout in exemplari originali Patris nostri Ignatii habentur*. Circa quæ verba aduerto, in volumine constitutionum in rigore distinguere constitutiones ab examine, & à declarationibus constitutionum. In hoc autem canone intelligo constitutionum nomine omnia illa comprehendere; quia examen, licet extra decem partes constitutionum numeretur, quia non tam ad religiosorum regimen, quam ad cognitionem de recipiendis comparandam ordinatur: re tamen vera constitutiones continet æquè immobiles, & ad bonum Societatis regimen æquè necessarias, & eodem modo obligantes Prælatos vel officiales Societatis, quatenus per eos illud examen mandandum est executioni. Declarationes etiam (ut in principio earum, & 6. p. cap. 1. liter. A. dicitur) eiusdem authoritatis sunt cum constitutionibus, solumque ad maiorem claritatem, & explicationem aliquarum rerum particularium illo modo posite sunt. Denique illa tria eundem habent authorem Ignatium, ideo æquè rata, ac firma declarantur in prædicto canone. Et ita etiam intelligenda censeo multa loca constitutionum, & Bullarum Apostolicarum, in quibus constitutionum obseruantia commendatur, vel aliquid secundum constitutiones agendum dicitur: semper enim constitutionum nomine illa omnia comprehenduntur, quia reuera talia sunt. Sic etiam intelligo 2. cano-

*Nomine co-
stitutionum
veniunt ex-
amen & de-
claratio.*

nem 3. Congregationis, ubi Societas satis declarauit, quanta reuerentia has constitutiones prosequeretur, cum sic statuit, *Nullo modo expungenda sunt constitutiones, quæ ratione temporum, vel alias ob causas praxi non sunt, sed potius oportet ut inuoluntate permanent, ut quales à sanctæ memoriæ Reuerend. Patre nostro Ignatio acceptæ sunt, tales omnino ad posterum transmittantur*. Et quia Beatus Ignatius in vulgari Hispana lingua constitutiones conscripserat (quorum exemplar apud nos habemus in Latinam, ac communem linguam verti necessarium fuit, id tamen non solum summa diligentia factum est, sed etiam in duabus Congregationibus generalibus, tertia, & quarta: iterum atque iterum recognita versio est emendata, & approbata, ut ex canon. 3. Congregationis, constat.

Ex his ergo colligimus propriè, & in rigore totum hunc constitutionum librum esse regulam Societatis, quam Pontifices approbaverunt, & confirmaverunt sub nomine Pontificis approbaverunt, & confirmaverunt in dictis indultis Pauli III. & Iulij III. & in constitutione, *Quanto fructuosius, & Ascendente Domino*, Gregorij XII. Continent autem hæc constitutiones si attentè legantur, omnia, quæ ad perfectum regimen huius religionis per proprias constitutiones tradi poterant. Dico autem per proprias constitutiones, hæc namque sunt, quæ ad res immutabiles pertinent, & vniuersaliter obseruari debent, ut in proximo earum declaratur, ideoque non oportet ut ad particularia nimium descendant, tamen in suo ordine, & generalitate plenam, & perfectam prouidentiam, cum magna breuitate & summa perspicuitate, ac mirabili methodo coniunctam habent.

Inprimis enim omni religioni necessarium est in delectu recipiendorum summam curam ac diligentiam adhibere: quia nisi ingenium, & conditio personarum ad religionem & ad tale institutum religiosum accommodata sit: crescit quidem religiosorum multitudo, multum autem eius splendor, & perfectio minuetur: & ideo sancti Patres hanc curam plurimum commendant, ut constat ex Basilio regul. 11. ex Fulgoribus, Calsian. lib. 2. de institut. renunc. Bonauentur. quæst. 9. & 10. super regulam. Quos Patres imitatus noster Ignatius primum membrum, seu præambulum suarum constitutionum esse voluit, examen recipiendorum, in quo accuratissime hanc diligentiam præscribit iuxta modum huic instituto accommodatum. Et in i. p. constituit, quæ in eorum admissione seruanda sunt, statuit. Quoniam vero non solum in recipiendo, sed in retinendo, & conservando magna cautela & prudentia necessaria est, & quia dimissio admissioni contraria est: ideo statim in 2. p. constit. de his, quæ obseruanda sunt in dimittendis illis, qui Societati non inferuiunt, vel viles futuri non sperantur, copiose disponit. In reliquis vero partibus constitutionum, singulis membris huius corporis sapientissimè prouidet. Et quidem in 3. d. ocet modum regendi, & promouendi eos, qui in probatione versantur, sub quibus tam nouitios, quam religiosos scholares complectitur, imò cum vita religiosa serè omnibus eodem modo communis, & eiusdem rationis sit, in illa parte generatim statuit, de his, quæ ad regimen propriarum personarum Societatis, tam in spiritu, quam in corpore, pertinent: quarta verò ea continet, quæ ad profectum in literis, & in vniuersum ad studia Societatis necessaria sunt. In quinta & sexta traduntur varij modi, quibus religiosi corpori Societatis per religiosa vota, seu professionem vniuntur, & quæ unusquisque in suo gradu iam constitutus seruare debet, & præsertim in sexta, perfectio votorum Societatis, & regularis obseruantia, quæ ab his religionis postulat

dum viuunt, & pietas quæ circa illos iam defunctos exercenda est, accuratè declaratur. Septima pars de ministerijs erga proximos disserit. Et quia occasione talium ministeriorum, non potest Societas non esse per varias mundi partes dispersa, ideo in 8. p. summa prouidentia præscriptis S. Ignatius modum, quo membra huius corporis, & inter se, & cum suo capite vnionem essent seruatura: nihil. n. ad illius conseruationem, & in suis ministerijs efficaciam magis necessarium excogitari poterat. Non pars, tota est de ipso capite seu Generali Societatis; in vltima verò, generalia consilia traduntur, quæ ad totius corporis conseruationem, & augmentum plurimum conferre possunt, & ita nihil videtur relictum, quod ad huius religionis regimen, iuxta suum peculiarem finem, & institutum, conferre posse videatur.

VII. *Consentia in his constitutionibus 13 sonans antiquitati.*
In his autem constitutionibus, vt n. 2. dixi, ferè omnia inueniuntur, ex vlt antiquorum Patrum, & aliarum religionum desumpta, & licet aliqua noua visa fuerint, secundum mores & consuetudines iam receptas in communi statu regularium, reuera sunt antiquitati consentanea, & præsertim vitæ & religioni, quam ipsi Apostoli, & eorum coadiutores professi sunt, vt latissimè ostensum est, per totum hunc tractatum explicando singula puncta paulo antea in num. 3. proposita, in regula compendiarie (vt sic dicam) Societatis, & in n. 4. ad breuiem summam redigimus.

De summa constitutionum.

VIII. Quia verò constitutionum omnium obseruantia, praxis, & comprehensio, non pertinet ad singulos de Societate, sed ad eos quibus regimen illius commissum est, ad eos maximè pertinet integrum illorum volumen diligenter euoluere, & præ manibus habere, & cum oportuerit, vel ad earum executionem, vel ad earum rationem reddendam parati sint: pro alijs verò omnibus simplicibus, religiosi, summarium breue constitutionum extractum est, quod nomine etiam regularum generalium appellari solet quia in eo generalia capita perfectionis ab omnibus huius instituti professoribus seruanda proponuntur. Solet autem regula religiosa primum proponere finem talis status, & deinde media, quæ tres vel quatuor partes habere possunt, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 9. iuncto quodlib. 1. art. 2. scilicet, consilia pura, ordinationes simplices, & præcepta propria: in illo ergo summario, imò (vt in superioribus dictum est) in omnibus eius regulis, nulla sunt propria, & rigorosa præcepta, præter pauca, quæ in constitutionibus, vel in generali aliqua congregatione, habentur: quæ sunt de rebus valde vniuersalibus, & quæ raro occurrunt, ideoque in ordinaria regula non ponuntur.

IX. *Præsumitur regule summa j.*
Primo ergo, in dicto Compendio, siue summario post præambulum de necessitate, & ratione condendi regulam, & constitutiones in 2. §. finis Societatis proponitur, qui satis à nobis lib. 1. cap. 2. declaratus est, & de cuius perfectione nulla est, nec esse potest controuersia. In 3. verò & 4. §. statim proponitur generalis ratio & modus viuendi in exterioribus, vbi tria tanguntur. Vnum de habitu communi clericorum, aliud de moderatione in austeritate vitæ, quoad corporales penitencias, non præscribendo illas in regula scripta, sed per regulam viuam, id est, superiorem. Tertium punctum ibi insinuatum est de modo clausulæ Societatis: non enim instituta hæc religio, ad viuendi modum omnino à consortio hominum seiunctum: nec vt religiosi intra claustra semper degant, sed vt huc, illuc-

que suis temporibus discurrant, & inter proximos, ad illos lucrandos versentur: circa quæ triplex disputatio principalis occurrebat. Prima de habitu Societatis, quam lib. 1. cap. 5. expediuimus, cuius rei summa est, quam Basilius in regulis breuioribus, ad interrogationem 210. tradidit, erat enim interrogatio, Quis est ille, qui traditus est ab Apostolo habitu ornatus? Responso verò est, Nempe vsus ad propositum cuiusq; finem accommodatus, cum decoro ac dignitate, habitatione temporis, loci, persone, vilitatisque. Quare licet idem Basilius regul. 22. ex fufioribus, Benedictus, Franciscus, alijque Patres, in suis regulis, proprio vnusquisque modo religiosum habitum requirat, non sunt contrarij, nec inter se, nec nobis, quia vnusquisque iuxta finem à se propositum locutus est. Secunda, de exteriori ratione, ac modo tractandi corpus in victu, somno, alijsque austeritatibus, & penitentijs, quam ex professo tractauit eodem lib. 1. cap. 9. nuncque illam reduco ad eandem regulam, vt tractatio hæc corporis sit fini religionis accommodata, quam etiam significauit Basil. ferm. 1. de Instit. monachor. col. 4. dicens, vt neque corpus delictis degluat, nec maceratione nimia attrahatur, nec aut varijs perturbationibus reddatur obnoxium, neque, si efficiatur morbosus, Dei mandata (religionis leges & instituta interpretor) exequi non possit. Et satis ad rem nostram accommodatè in responsione ad interrogationem 196. ex breuioribus: quæ fuerat, Quomodo manducat quis, & bibit ad gloriam Dei, & responderet inter alia, Qui non tanquam ventris mancipium propter voluptatem manducat, sed tanquam operarius Dei, vt in operibus suis, quæ sunt ex mandato Christi, exequendis esse firmior possit: similiaque multa habet in regula 19. ex fufioribus. Tertia disputatio erat de clausura tam commendata religionis, quæ nulla, vel minima in hac regula præscribitur: sed de hac redicemus statim circa alias regulas in fin. numero 12.

Postea verò in eadem summa constitutionum à §. 5. ad 8. de vsu Sacramentorum in Societate ingressu, & progressu seruando, statuitur. Deinceps vsque ad §. 19. egregia consilia traduntur, ad quærendam perfectionem, tam in perfecta seculi renuntiatione, quam in abnegatione sui, tum externa, tum maximè interna, & præterea in solidarum virtutum acquisitione & exercitio, præsertim charitatis, & humilitatis. Et in 14. notari potest remedium curandi superbiam, & alia similia vitia, adhibitis contrariis, in vsu & exercitio actionum, quod est Basilij in regula 51. ex fufioribus. Et ad idem faciunt regula 35. ex eisdem, & regula 289. ex breuioribus: specialiter verò in §. 20. stabilitas, non solum in ipso statu religioso, sed etiam in eo gradu eius, in quo vnusquisque à superioribus constituitur, commendatur. Ad hæc spiritualium rerum, & exercitiorum cura §. 20. & 22. præscribitur. Ac deinceps, de perfectione votorum, vsque ad §. 4. tractatur, & præcipue circa obedientiam instituitur, tam in operibus humilioribus, quam altioribus, & non solum in rebus agendis, sed etiam in penis pro defectibus sustinendis. In particulari verò prohibetur scriptio, vel receptio literarum nisi per manus superioris. Quod etiam Augustinus in sua regula statuit cap. 4. & cum superioribus claritas, & totius animæ, ac conscientie manifestatio sub debito religiosæ regulæ constituitur, tanquam huic instituto maximè necessaria, vt supra in cap. 6. visum est. Denique de vnione fraterna, & alijs quæ ad mutuam charitatem, & ad perfectionem iuuare possunt, vsque ad finem illius summarij statuitur. In quibus nihil occurrit, quod difficultatem habeat, vel nouam explicationem requirat.

Punctum de habitu Societatis.

De modo tractandi corpus in victu, somno, alijsque austeritatibus, & penitentijs.

De clausura.

X. Quid in casu summa regulæ præscribat.

Vide Nau. cap. non dia. casu nu. 12.

De regulis quæ communes appellantur.

XI.

Præter hæc omnia, sunt in Societate aliæ regulæ, quæ communes dicuntur, non tam ex obiecto, ut præcedentes, quàm ex subiecto, seu ex parte personarum, pro quibus feruntur. Pro omnibus enim religiosis Societatis constituuntur, in quo differunt à regulis specialium officiorum, de quibus statim, licet vtrarumque nullus superior infra Generalem auctor esse possit, ut in 1. Congregatione decreto 143. habetur; Sed in hoc conveniunt cum regulis generalibus, seu summario constitutionum, quia etiam illud ad omnes pertinet: tamen in materia circa quàm, videtur esse diversitas: nam constitutiones hæcenus infinuata circa generalia quædam principia perfectionis versantur, & ea consilia tradunt, quæ substantiam (ut ita dicam) internæ & externæ perfectionis attingunt; in regulis autem communibus, quæ exterius observanda sunt, & ad communis vite ordinem & convenientem dispositionem pertinent, in particulari statuuntur.

XII.

Earum distributio quadrupla.

Videntur autem, in quatuor præcipuas partes dividi. Nam primum ordinantur ea, quæ spectant ad observantiam spiritualium exercitiorum, & divini cultus, quæ in omni religione primum locum habere debent, & consonant illis regulis, quæ tradit Basilii regul. 37. ex fusioribus. Deinde à regula 5. quæ ad exteriorē decentiam, temperantiam, paupertatem, obedientiam, unionem animorum, & alias religiosas virtutes, & particulares circumstantias circa illas observandas, prudentissimè & accuratissimè disponuntur. Docent enim quomodo unusquisque, in toto ordine vite, & circa seipsum, & circa superiores, & circa fratres suos, se gerere debeat: legatur Basil. epist. ad Canonicam, ibi enim multæ ex illis regulis reperiuntur, præcipue non ingrediendi cubiculum alterius, nec se ingerendi aliorum officijs, vel ministerijs sine Superioris ordinatione: legatur etiam regula eiusdem Basilij 50. 52. 53. & cap. 41. ex fusiis disputatis, ubi modum ferè eundem dependendi in omnibus à superioribus tradit. Postea verò à regula 36. traduntur ea, quæ circa proximorum conversationem, & ministeria feruanda sunt, & omnia ad hoc reuocantur, ut ex voluntate: & arbitrio superiorum, ea tantum negotia suscipiantur, quæ ad spiritualem proximorum fructum, & edificationem sine perturbatione, vel detrimento, spiritualium bonorum religionis, expediri possunt. Quibus etiam consonant, quæ tradit Basilii regula 312. & 313. ex brevioribus; ac denique à regula 43. de modo egrediendi domo disponitur, ubi religiosa clausura in sua perfectione, iuxta finem instituti observanda proponitur. Ut enim dixit Basil. regula 311. ex brevioribus, religiosa clausura, non in hoc posita est, ut nunquam ex cella, vel domo religiosus egrediatur, sed ut non sine fructu, nec cum periculo morali, nec sine facultate Prælati: & hæc tria sunt, quæ in illis regulis intenduntur, ac præcauentur, quantum in generali necessarium est: in particularibus enim regulis de Sacerdotibus, si quid amplius necessarium est non omittitur, ut videbimus.

De regulis propriis cuiusque officij Societatis.

XIII.

Brevi excursus per regulas speciales cuiusque officij.

Præter has ergo generales, & communes regulas, sunt in Societate pro singulis ministerijs, seu officiis, propriæ, ac peculiare regulæ digestæ, quod non esse novum ex illis verbis Basilii intelligimus in regul. 147. ex brevioribus; unusquisque

in munere suo regulam propriam conferet. Neque id onerosum aut grave censeri debet, sed vtilissimum, ut unusquisque magna luce, & claritate procedat, sciatque quomodo muneri suo satisfacere debeat. Regulæ igitur Præpositi Generalis sunt constitutiones ipsæ, & totum institutum, ideoque pro illis peculiare regulæ non traduntur, dantur verò Provincialibus, & omnibus inferioribus Prælatibus, de quibus in superioribus satis dictum est: & quia illi etiam consilio, & auxilio indigent; & admonitione, pro Ministro etiam, consultoribus, & ad monitores propriæ traduntur regulæ; pro quibus videri potest regula 48. & 54. ex fusiis disputatis à Basilio. Item dantur pro Magistris novitiorum, & præfectis spiritualibus, quorum munus quàm sit græve, & religioni necessarium, satis indicant: Basil. form. de Abdicacione rerum, dicens, Summa vigiliantia, acerrimaque animi circumspectio operam date, ut aliquem tibi virum inuentas, quem in omnibus deinceps dedit tibi vite studij certissimum ducem sequare, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere, sicut demonstrare, cuius virtutes & proprietates deinceps latè describit. Et quàmvis hæc possint ad superiorem, seu Prælatum religionis adaptari: tamen cum ipse non semper possit per seipsum omnibus providere, sicut in administratione rerum temporalium ministris vitur, ita in spiritualium rerum cura illis uti necesse est, pro novitiis quidem proprio illorum Magistro, pro aliis iam protectionibus præfectis spiritualibus, qui propriis regulis unicuique statui accommodatis vtantur. Sic etiam Procurator, qui in temporalis administratione instrumentum potissimum Prælati est, suas proprias habet regulas, quarum necessitas quanta sit satis declarant verba Basilij reg. 35. ex fusioribus, ubi arguens hoc mutus, ait: Quam verò difficile sit virum aliquem inueniri, qui Christi nomen, non aliquo pacto deleat, & cum foris sit di sciat, qui communis vite consuetudinem tenent: ita congregum vis, ut cum sua ipsius professione congregio illa aliqua ex parte non discrepet, id metuentes, etiam vos multiguti. Sic etiam de cæteris ministerijs, & officiis intelligendum est, tam in temporalibus ministerijs, quàm in spiritualibus, ut Scholasticorum, quæ etiam in spiritualibus erga proximos, ut Sacerdotum & concionatorum, & de quibus hic in particulari dicere non est necessarium, quia nullam specialem doctrinam requirunt, & quæ notari digna sunt, in superioribus, & in locis suis opportunius non sunt prætermittenda.

De decretis, vel canonibus Societatis, deque ordinationibus Generalium.

Ultra hæc, adduntur decreta, seu canones Congregationum generalium, quàmvis enim hoc modus Concilij rarius in Societate, quàm in aliis religionibus congregetur, quia cum habeat generalem perpetuum, & omnia, quæ ad institutum pertinent, plenissimè disposita & digesta sint, raro occurrat necessitas faciendi totius religionis conuocationes, quæ sine aliis magis incommotis non fit? Quàmvis (inquam) hoc ita sit, nihilominus aliquando fieri necesse est. Quando ergo sit, auctoritatem habet condendi decreta, & leges perpetuas, & declarandi constitutiones, vel etiam mutandi, si necesse sit, iuxta Bullam 1. Pauli III. & aliam Iulij III. ordinariè verò talia decreta sunt ad declaranda dubia emergentia, vel ad aliquid addendum, quod iuxta temporum varietatem, vel nouam observationem, seu experientiam rerum, necessarium, aut conueniens videatur, neque ad hunc loci spectat plura de huiusmodi decretis dicere. Possunt autem Generales suas ordinationes condere, quæ

nōn expirant per mortem eorum donec reuocentur, vt ex declaratione quartæ Congregationis, decreto 19. constat, in qua participat perpetuitatem legum. Nihilominus in hoc differunt à decretis Congregationum generalium, quod posterior Generalis potest ordinationem sui antecessoris reuocare, non tamen potest vllus Generalis canones, vel decreta Congregationum generalium abrogare, quia congregatio est illi superior, & in hoc sensu dicitur in dicta Bulla Iulij III. esse proprium generalis Congregationis constitutiones condere, vel mutare.

XV.
Vtque, tamē
potest pra
positum de
clarare esse
vacat.

Et in eodem sensu intelligo, esse dictum in Congregatione 4. generali can. 21. Præpositum Generalem potestatem suam ordinariam posse constitutiones declarare, eius tamen declarationem non habere vniuersalis, sed tantum valere ad praxim bonæ gubernationis, quia sicut Congregationis generalis est leges condere, ita & hoc modo declarare, nomen enim legis interpretor esse ibi strictè sumptum, sicut nomen constitutionis, pro statuto immutabili, nisi ex potestate totius religionis & grauissima causa: sicut enim non potest declaratio generalis habere vim legis, atque hæc interpretatio constat ex 7. Congregatione, decreto 76. Nihilominus tamen, sicut potest declarare, ita potest ordinare vt sua declaratio in praxi, & gubernatione seruetur, quandiu aliqua Congregatio generalis aliud non declarauerit: alioqui eius declaratio non haberet maiorem efficaciam, quam data ab homine literato, quod dici non potest, quia sicut in alijs materijs habet potestatem præcipiendi seu ordinandi, ita etiam in hac. Talis autem ordinatio nōn cessat ipso facto per mortem Generalis, iuxta decretum 3. eiusdem 4. Congregationis, & decretum 72. Congregationis 7. quod vniuersale est. Atq; hæc attigisse de regulis Societatis sit satis.

Concluditur Societatem regulis suis esse optimam, satisque instructam.

XVI.

Ex quibus omnibus (vt quæstioni præpositæ directè respondeamus) satis constat Societatem, optimam & sufficientibus regulis institutam, & munitam esse, ideoque ex hac parte nihil amplius ad eius conuenientem gubernationem, optimamque religionis institutionem desiderari posse. Nam si personas spectemus, omnibus gradibus & ordinibus prouisum est: si virtutes, nulla prætermissa est tali religioso statui accommodata; quæ suis peculiaribus legibus, & documentis non fuerit communitati officia, singulorum est ratio habita, & generatim erga Deum, erga Prælatos, erga seipsos, erga proximos, tum domesticos, tum etiam externos debita officia præscripta sunt; & speciatim pro singulis ministerijs, & solitudinibus religionis peculiariter directiones stabilitæ sunt. Quod si in legibus, & regulis auctoritas postuletur, habent professio regule Societatis maximam. Nam in primis piè credimus non defuisse Societati speciale illud auxilium, quod Deus fundatoribus religionum dare solet in suis regulis condendis, vt de Sancto Benedicto ait Bernardus in Euangelio: Ecce nos reliquimus omnia, & de ipso Bernardo refertur in eius vita lib. 1. cap. 8. & de Sancto Francisco in eius historiis, estque moraliter necessarium, quia non valet humanum ingenium suis viribus assequi omnia substantialia, & conuenientia media, ad finem ad eod suprenaturalem, & perfectum. Hoc ergo piè etiam credimus de regulis Societatis, saltē prout continent bases, & substantialia media huius institutionis: vnde supra etiam lib. 1. cap. 4. de constitutionibus, quæ sunt cæterarum regularum fundamentum, ostensum est, quam graue habeant ab autore

suo & à modo, quo illas edidit, prudentie, & sanctitatis, testimonium: cui accessit quinque Congregationum generalium approbatio, proferens, & ostēdens totius Societatis consensum, plurimum iam annorum vsu, & experientia confirmatum, & quod maius omnibus est, Apostolica Sedes, suprema sua auctoritate illas consignauit multis doctissimis, atque sanctissimis Pontificibus ferè in vnam, eandemque sententiam concurrentibus, Paulo III. Iulio III. & Pio V. Gregorio XIII. & Gregorio XIV. Paulo V. quam in suis diplomatibus grauissimis verbis testatam reliquerunt. Reliquæ verò regulæ, seu ordinationes, quas in Societate diximus esse in vsu, vel ab eisdem congregationibus, & constitutionibus fidem habent, vel certè à Præpositis Generalibus, qui post fundatorem S. Ignatium, quatuor tantum, cum hæc scribimus, in Societate numerantur, Iacobus Laynez, Franciscus Borgia, Euerardus Mercurianus, Claudius Aquaiua: omnes vitæ, doctrinæ & aliis naturæ dotibus satis illustres, prudentiaque, ac rectitudine gubernandi insignes, & tam in condendis, quam in cognoscendis, ac stabilendis regulis magnorum virorum consilio semper vsi sunt: ergo ex parte regularum, & instituti, est sine dubio in Societate sufficiens instructio, & ad regendum aptissima; solum à Domino efflagitanda est, ex parte Prælatorum, vigilantia & charitas, ex parte verò subditorum, humilitas, & obediencia, vt religio hæc cum diuinæ gratiæ auxilio, optatum finem consequatur.

Atque ex his omnibus (vt opinor,) non solum satisfactum est omnibus communibus obiectionibus, quæ communiter contra institutum eius fieri solent, sed etiam omnium præcipuarum ac propriarum rerum huius religionis ratio reddita est: vnde merito concludere, ac religiosos nostros grauiter admonere possumus vt hanc regulam, ac viuendi institutionem immutatam, illibatamque retineant: quod professio, sine eodem spiritu, & speciali gratiæ auxilio, quo ipsa fuit condita, diu fieri non poterit: quia in huiusmodi rebus non minor, imò quodammodo maior gratia necessaria est, ad earum conseruationem, quam ad inchoationem. Non deerit autem diuina gratia, si non desit integra eiusdem regulæ obseruantia, quam omnibus hominum statibus, quibus speciali providentia Dei propria viuendi norma tradita est, commendatam intelligimus in illis verbis Deut. 5. Hæc est via, ambulat in illa, & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.

XVII.

Exhortatio
ad hanc
regulam.

Quapropter suspecti nobis esse debent omnes, qui mutationem aliquam in præcipuis rebus huius instituti introducere voluerint: etiam si sub specie, & nomine eiusdem Societatis, id se intendere profiteantur: non enim mouentur eo spiritu, quo Societas ipsa condita fuit, sed nescio quo alio peregrino, & fortasse non est nisi ambitionis spiritus, qui omnia semper interturbare conatur. Quibus respondere possumus, quod Bernardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem, religionis à sua prima institutione deficientibus obicit: sic Macharius vixit: sic Basilius docuit: sic Antonius instituit, sic Patres in Aegypto conuersati sunt, sic deniq; S. Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos se sui virque ordinis Principes, & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt. Res itaque tanta auctoritate, & consideratione stabilitæ, & tam diuturna experientia confirmatæ, non facile mutantæ sunt: donec plurimum annorum contraria experientia doceat, ex aliqua illarum maiora sequi incommoda: quod de nulla constitutione præcipua huius instituti, cum minima specie veritatis affirmari potest. Resistendum ergo est totis conatibus huiusmodi inquieto spiritui: quod si qui fuerint eiusdem Societatis ingrati filij, qui-

XVIII.

Dehortatio
à mutatione
illius.

XIV.
Dinde ex
auctoritate
conditæ,
& Pontif
confirman
tium.

quibus hæc mutatio in desiderio est, aut monendi sunt, ut mutant affectum suum, & spiritu humilitatis & obedientiæ cum diuina gratia induantur: statim enim inordinatus ille affectus per se cadet: aut

si huic instituto accommodari nolunt, aut non posse causantur: melius est ut ipsi de Societate mutentur, quam ut propter paucorum affectum tota Societas tam graue malum patiatur.



INDEX CAPITVM LIBRI VNDECIMI.

De iis, qui religiosum statum à Societate mutant.

Cap. I.

II.

III.

Vtrum professus possit à Societate expelli, & quas ob causas.
 Utrum professus in Societate possit ad aliam religionem transmitti, & quomodo.
 Ad quid teneatur professus è Societate eiectus, vel qui modo alio ab illa deficit, seu mutatur.



LIBER